



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî quisq[ue] iuxta suam vocationem viuere, diuinasq[ue] laudes,
reliquaq[ue] sua debita, ad quæ ex suo statu obligatur, pendere debeat.
LX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

EXERCITIA TRIA CHRISTI
FIDELIBVS CVNCTIS LONGE VTISSIMA:
ex quibus, velut radicibus, omnia alia pullulant
exercitia.

QVICVNQVE AVTEM TRIA ISTA EXERCITIA
studiose serauerit, citò à peccatis & vitijs omnibus mundabi-
tur, gratijs & donis maximis illustrabitur, perfecta & charitate
& amicitia Deo vnietur, & felici morte consumabitur.

*Vti quisque iuxta suam vocationem viuere, diuinasque laudes, re-
liquaque sua debita, ad quæ ex suo statu obligatur,
pendere debeat.*

CAPVT LX.

EXercitium primum vocatur debitum, vt videlicet, diligenter medi-
tis die ac nocte, quid pro loco & tempore, & hora qualibet debeas fa-
cere, iuxta legem Dei, siue ordinis, siue status tui. Quia ingratum est
Spiritu sancto quicquid feceris, neglecto eo, ad quod teneris. Satage er-
go facere quod debes, nõ quod libet, sed secũdũ sensualitatẽ delectat.
Et libros ad hoc necessarios diligẽter perquire atq; reuolue. Ercuriosos, aliosque
omnes tuo proposito nõ seruientes tibi, non necessarios libros relinque. Deuo-
tos homines de diuinis loquentes, libenter consule, & audi: vagos verò & cu-
riosos fuge, aut ex charitate corripe, & pro ipsis ora. Inter omnia autem debita,
præcipua cura studeas, laudes & officia diuina in templo & cella cum omni dili-
gentia & reuerentia soluere: ne aliqua ex tua parte negligentia contingat, ter-
ritus exemplo Saulis, qui quando intumuit, & neglecta obedientia, quod sibi
bonum videbatur obtulit, à Domino abiectus est. Ad *Gloria Patri*, opta summo
desiderio Deũ ab omnibus creaturis perfectissimè laudari, pro his quæ in *Psal-
mo* commemorata sunt, videlicet pro quolibet beneficio nobis præstito, vel
tormento per ipsum pro nostri redemptione perpeffo, & pro singulis vitijs &
periculis, à quibus te liberauit, cum maximo desiderio eadem vitia de cætero vi-
tandi vsque ad mortem, secundũ quod hæc omnia, vel eorum aliqua, in *Psal-
mo* illo præuio à te fuerunt lecta, cantata, vel audita. Simili deuotione omnia,
quæ tibi ex debito incumbunt exequere & age, tam in spiritualibus, quam tem-
poralibus, omnia illa pura intentione singularim Deo offerendo, ad gloriam
suam, & tuam voluntatem & cupiditatem funditus abnegando, in omnibus
operibus & exercitijs tuis.

Bernar.

Officia diui-
na qui sol-
uenda.

1. Reg 15.